



PONTIFICIUM CONSLIUM  
DE LEGUM TEXTIBUS

# Communicationes

VOL. XLII • N. 1

---

2010

**SPECIALIS COMMISSIO PONTIFICA<sup>5</sup>**  
**COETUS STUDII «DE PROCEDURA ADMINISTRATIVA»**

**Sessio I<sup>a</sup>**  
**(diebus 1-5 iulii 1971 habita)**

Diebus 1-5 iulii 1971 in Aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut Sodales Coetus studiorum ad redigendas normas de procedura administrativa.

Interfuerunt sequentia membra Commissionis: Exc.mi Aurelius Sabattani et Franciscus Reh; Rev.mi Raimundus Bidagor, Carolus Lefebvre, Iosephus Pinto, Thomas Mundy, Aemilius Eid, Arcangelus Ranaudo, Henricus Straub, Paulus Wirt, Robertus Kennedy, Adam Maida, Guillelmus O'Connell et Ill.mus Pius Ciprotti.

Adunationibus praefuit Em.mus Cardinalis Pericles Felici; Ill.mus Ciprotti munere Relatoris, Rev.dus Franciscus Voto munere actuarii functus est.

**PRIORA OPERAE STADIA**

1. Consultores Coetus «De processibus» Pontificiae Commissionis CIC recognoscendo, in Sessione VIII<sup>1</sup>, diebus 20-25 octobris 1969 habita, necessitatem agnoverunt describendi in novo Codice normas de procedura administrativa. Ut aptius id assequi posset, ipsi Consultores constituerunt parvum quemdam Coetum (ex Consultoribus Sabattani, Pinto, Damizia, Berutti, Ciprotti et Giacchi compositum) cui munus commiserunt apparandi aliquod schema de procedura administrativa, quod esset veluti basis futurorum laborum ipsius Coetus «De processibus».

2. Parvus Coetus cito suum laborem incepit – Praeside P. Raimundo Bidagor, Relatore Ciprotti et actuario Rev. Voto – et iam die 13 ianuarii 1970 primam Sessionem celebravit, in qua operae faciendae ratio delibata est.

Post nonnulla Consultorum vota, die 20 martii 1970 a Relatore exaratae sunt *Quaestiones praeviae, antea examinandae quam canones apparentur de processu administrativo*. Cum autem de his praeviis quaestionibus pervenissent Consultorum vota, die 25 maii 1970 Relator paravit «Schema canonum praevium de procedura administrativa» (cfr. Adnexum 1), ex 16 canonibus constans; transmisso autem

<sup>5</sup> Cfr. *Communicationes* 40 (2008), 143-144.

Consultoribus hoc schemate, et votis habitis, altera Consultorum sessio fuit diebus 22-24 octobris 1970, ex cuius conclusionibus Relator die 16 novembris 1970 alterum schema (cfr. Adnexum 2) exhibuit ex canonibus 21 constans, quod in nova Sessione diebus 2-3 martii 1971 habita, examinatum fuit.

Ex conclusionibus huius novissimae Sessionis Relator schema adhuc perpolivit (cfr. Adnexum 3) pro examine a Coetu generali «De processibus», in proxima Sessione faciendo.

3. Interim die 27 martii 1971 Summus Pontifex munus commisit Em.mo Card. Pericli Felici constituendi specialem Commissionem Pontificiam ad examinanda duo documenta, quorum alterum, quod inscribebatur «On due process», a Conferentia episcopali Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis; alterum vero a Conferentia Episcoporum Bavariae confectum erat, quaeque lineamenta de iustitia administrativa in Ecclesia praebabant.

Haec documenta examinanda erant ut aliquid per se stans, cum mente tamen quod ipsa specialis Commissio, examine absoluto et votis factis Summo Pontifici de illis documentis, labore pergeret examinando schema de iustitia administrativa a Commissione Codici Iuris Canonici Recognoscendo apparatum, ita ut hoc schema perfici et augeri posset ex elementis provenientibus sive ex scientia et experientia Sodalium, sive ex ipsis documentis americano et bavarico.

4. Em.mus Card. Praeses monuit Consultores Coetus «De processibus» Pontificiae Commissionis CIC recognoscendo, qui suam Sessionem habuerunt diebus 19-22 aprilis 1971, de constitutione specialis Commissionis Pontificiae pro examinandis quaestionibus de iustitia administrativa in Ecclesia. Consequenter ipsos Consultores monuit ut examen schematis de iustitia administrativa, a parvo Coetu apparati, omittent, cum id munus, ex voluntate Summi Pontificis, iam speciali Commissioni Pontificiae commissum fuisset.<sup>6</sup>

5. Specialis Commissio Pontificia diebus 26-29 aprilis 1971 Sessionem habuit in qua documenta americana et bavarica de iustitia administrativa examinavit et votum de ipsis Summo Pontifici fecit.

Nova autem haec laborum Sessio convocata est ad legem generalem de iustitia administrativa apparandam pro tota Ecclesia.

Omnes Sodales Commissionis rogati fuerunt ut pro hac Sessione suas animadversiones facerent circa schema de procedura administrativa (cfr. Adnexum III), a Pontificia Commissione CIC recognoscendo apparatum.

Nonnullis votis sodalium examinatis, Relatori necessarium visum est Consultoribus quasdam quaestiones praealias submittere ut de ipsis, in prima Sessione, decisiones fierent.

<sup>6</sup> Cfr. supra notam 4, *ibidem*, 144.

**Adunatio I<sup>a</sup>  
die 1 iulii 1971 mane habita**

Em.mus Cardinales Praeses salutem dicit omnibus Sodalibus et Relatorem  
rogat ut proponat quaestiones disceptandas.

Relator proponit ut examinentur quaestiones praeviae quas ipse Sodalibus  
proposuit.

QUAESTIO I. a) Num etiam actio de damnis propter ius subiectivum lae-  
sum, si laesio ex actu administrativo proveniat, ad tribunalia administrativa sit  
deferenda, ita ut numquam detur actio coram tribunali ordinario, ne ad dam-  
na quidem reparanda, propter ius subiectivum decreto laesum.

Omnes Sodales, excepto Relatore, respondent actionem de damnis propter  
ius subiectivum laesum, si laesio ex actu administrativo proveniat, proponen-  
dam esse semper ad tribunal administrativum ob sequentes rationes:

- id magis congruit ordini canonico ubi distinctio potestatum non claris-  
sime patet (Rev.mus primus Consultor);
- non datur discrimin exakte iuridicum inter materiam laesionis iurium et  
materiam de damnis, ideo melius est si idem tribunal administrativum de am-  
bobus iudicet (Rev.mi Secretarius, secundus et tertius Consultores);
- id magis cohaeret cum responsione Commissionis Interpr. CIC, diei  
22 maii 1923, qua edictum est exclusive competere SS. Congregationibus co-  
gnitionem tum Ordinariorum decretorum, actuum, dispositionum tum  
damnorum quae quis praetendat ex iis sibi allata esse (Rev.mus tertius Con-  
sultor);
- ob oeconomiam iudiciorum et ob connexionem causarum (Rev.mi  
quartus, quintus, primus, sextus, septimus, octavus, nonus et decimus Consul-  
tores);
- ob quamdam decentiam erga Episcopum, qui secus traheretur apud va-  
ria tribunalia (Rev.mus quartus Consultor).

Rev.mus undecimus Consultor censet omnes rationes datas a Consultori-  
bus esse validas, attamen negari non potest quod si daretur actio de damnis co-  
ram tribunali ordinario, quis sua iura melius vindicare posset.

Suffragatur num actio de damnis deferenda sit ad tribunalia administrativa:  
placet n. 12; non placet n. 1.

Relator quaerit num actio de damnis allatis a privato, eo quod ipse fruatur  
decreto, quod actor contendat esse illegitimum, debeat proponi coram tribu-  
nali administrativo.

Omnis Sodales respondent positive ob rationes oeconomiae iudiciorum et connexionis causarum.

Alia quaestio proponitur a Relatore, scilicet: si decretum emendatum sit a superiore hierarchico, actio de damnis proponi potest contra superiorem hierarchicum vel contra utrumque?

De hac quaestione non fit discussio cum Sodales praferant ut Relator ipse proponat solutionem in novo schemate canonum redigendo.

QUAESTIO I. *b)* Si ita statuatur, utrum terminus ad proponendam actionem de damnis debeat esse diversus a termino, de quo in can. 11 § 1, an debeat idem esse sed decurrere a die quo definitive declaratum est decretum esse illegitimum et ius subiectivum laesisse, an debeat esse ordinarius terminus praescriptionis.

Ut patet, notat Relator, quis potest simul actionem proponere et de illegitimitate decreti et de reparatione damnorum. Sed quaestio de terminis hic fit pro casu in quo quis non proposuit initio actionem de reparatione damnorum et postea, cum damnum emerserit, talem actionem proponere vult.

Aliqui optant ut idem terminus habeatur sive pro actione illegitimitatis sive pro actione reparationis damnorum (Rev.mi tertius et primus Consultores).

Alii censent rem demandandam esse iuri particulari (Rev.mi quintus, septimus et octavus Consultores).

Maior pars sodalium autem autumant ut habeatur terminus longior pro propositione actionis de damnis (Ill.mus Relator et Rev.mi decimus, secundus, duodecimus, nonus et undecimus Consultores).

Relator censet condi posse normam qua demandetur Conferentiis episcopilibus ut statuant terminos qui non sint ultra annum a die quo damnum emersit.

**Adunatio II<sup>a</sup>**  
**die 1 iulii 1971 vespere habita**

QUAESTIO 2. *a)* Recursusne ad superiorem et recursus ad tribunal administrativum admitti nequeant nisi praecesserit petitio ut auctor decretum revocet vel emendet et de hac petitione expresse vel aequivalenter (cfr. can. 5) superior deciderit.

*b)* Quatenus affirmative ad *a*): num idem valere debeat etiam ut proponi possit actio de damnis.

Omnes Sodales respondent affirmative sive ad *a*), sive ad *b*).

QUAESTIO 3. Quod attinet ad leges, generalia decreta, ordinationes, instructiones, aliaque eiusmodi, quaeritur:

- a) num omnino excludenda sint a recursu hierarchico vel a recursu ad tribunal administrativum, et generatim a disciplina novae legis;
- b) num saltem ea excludenda sint, quae a Summo Pontifice sint, quamvis in forma communi tantum, approbata vel confirmata;
- c) num excludenda sint etiam quae sint ab aliquo Romanae Curiae dicasterio lata vel approbata;
- d) num adversus ea sit admittendus tantum recursus ad Sedem Apostolicam;
- e) num, praeter casus de quibus sub b (vel b et c), remittendum sit ad leges particulares statuere num et quatenus ad illos actus applicari debeat nova disciplina de impugnationibus adversus decreta;
- f) num quae nunc proponuntur in can. 18 § 2, aut saltem quod illic proponitur de lege illegitima non applicanda, transferenda sint ad iudicium coram tribunali administrativo, vel ad illud quoque iudicium sint extendenda, vel omnino suppressa.

Rev.mi quintus Consultor et Secretarius admittunt recursus contra decreta, non autem contra leges.

Rev.mus sextus Consultor admitit recursus tantum contra decreta lata ad casus particulares.

Rev.mi septimus, tertius et undecimus Consultores censem recursus admitti posse sive contra leges sive contra decreta.

Ad organum quod attinet Rev.mi decimus et primus Consultores censem tales recursus fieri posse tantum ad superiorem hierarchicum.

Rev.mi secundus et duodecimus Consultores autem censem leges impugnari posse tantum ex defectu «constitutionalitatis» a speciali tribunali ad hoc constitutum. Decreta autem, ordinationes et alia huiusmodi impugnari posse apud tribunal administrativum et apud superiorem hierarchicum.

Relator, post animadversiones sodalium, respondet non esse opportunum condere legem quae admittat recursus apud tribunale administrativum contra generalia decreta, ordinationes, instructiones, non autem contra legem. In praxi enim Episcopi semper vitare possent recursus dicendo se non emanasse decretum generale vel ordinationem vel instructionem sed legem. Haec difficultas non habetur si apud tribunal administrativum admittatur recursus tantum contra decreta particularia, salvo iure recurrendi ad superiorem hierarchicum contra leges, generalia decreta, ordinationes et instructiones.

Hoc ultimum propositum, admittendi scilicet recursum apud tribunal tantum contra decreta particularia, placet omnibus Sodalibus, exceptis Relatore et Rev.mis tertio et undecimo Consultoribus.

Tali consilio accepto, Relator quaerit num servanda sit norma can. 18 § 2 (cfr. schema Adnexum III) qua iudex in iudicio applicare non potest legem quam ipse illegitimam iudicet.

Rev.mus secundus Consultor censet illam normam can. 18 § 2 esse contra deliberationem, a Coetu factam, non admittendi apud tribunal recursum contra leges. Sed Relator contradicit, quia casus de quo in can. 18 § 2 venire potest tantum incidenter et nullam abolitionem ipsius legis secumfert.

Rev.mus septimus Consultor censet iudicem ne incidenter quidem iudicare posse de legitimitate alicuius legis quando iudicium legitimatis reservatur Summo Pontifici.

Rev.mus primus Consultor admittit tale iudicium incidens de legitimitate quando agitur de decreto generali non autem de lege.

Rev.mus quartus Consultor timet ne per illam normam can. 18 § 2 detur ansa pluribus abusibus provenientibus ex hodierna theoria secundum quam iudex negligere potest legem quam censet non idoneam contextui sociali in quo iudicium habetur.

Alii sodales approbant illam normam quia agitur de casu singulo et incidentali et quia iudex non potest, applicare legem quam putat esse contrariam superiori legi.

**Adunatio III<sup>a</sup>**  
**die 2 iulii 1971 mane habita**

Resumitur quaestio de facultate, iudici data, non applicandi legem quam ipse illegitimam censet.

Relator proponit hanc formulam:

« Quodlibet tribunal, sive ordinarium sive administrativum legum, ordinationum, decretorum generalium, aliorumque eiusmodi actuum normas, quas legi superioris auctoritatis adversari iudicet, applicare non potest; quodsi constet quaestionem de legitimitate vel illegitimitate iam ad Apostolicam Sedem esse delatam, tribunal debet iudicium suspendere, Apostolicam Sedem certiori faciens eiusque responsum exspectans ».

Rev.mus decimus Consultor vellet quod, si exurgat dubium de illegitimitate legis, iudex suspendat iudicium et quaestionem de legitimitate remittat auctoritati competenti.

Relator respondet talem propositionem esse contra consilium datum a Coetu qui non vult recursum contra leges et decreta generalia apud tribunal administrativum; quilibet enim posset per hanc viam impugnare leges Episcopi.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut canon ita compleatur: «... quas legi superioris auctoritatis *vel aequitati canonicae* adversari iudicet...».

Relator respondet verba «*vel aequitati canonicae* esse inutilia, cum exclusus sit recursus contra legem circa quam tantum moveri potest quaestio num respondeat aequitati canonicae.

Rev.mus Secretarius proponit ut dicatur «de validitate vel invaliditate» loco «de legitimitate vel illegitimitate». Propositio omnibus placet.

Rev.mus primus Consultor proponit hanc additionem: «... applicare *pro casu particulari* non potest...». Sed Rev.mus Secretarius et Relator respondent tribunal semper agere de sola quaestione ad ipsum delata et ideo semper legem applicare in casu particulari.

Suffragatur placeatne prima pars canonis:

placet n. 10; non placet n. 4.

Suffragatur placeatne alia pars canonis ita redacta: «quodsi constet quaestionem de normae invaliditate iam ad Apostolicam Sedem ab aliquo superiore ecclesiastico esse delatam, tribunal debet...»:

placet n. 10; non placet n. 4.

Relator praeterea proponit novam redactionem quarundam normarum ad sensum earum quae heri in prima adunatione deliberata sunt:

«Can. 18 § 1. Qui contendit ius suum decreto esse laesum, potest a tribunali administrativo petere ut damna reparentur et ut alii laisionis effectus stuantur.

§ 2. Ad actionem proponendam, de qua in § 1, lex particularis statuit terminum, non ultra annum, qui ex die quo damnum datum sit decurrat; terminus autem tandem suspensus manet, quandiu coram tribunali administrativo adversus idem decretum pendeat recursus, quocum actio de damnis cumulata non sit.

Can. 18 bis. Etsi decretum confirmatum vel mutatum sit a superiore ad normam can. 10, de damnis tamen, si forte debeantur, auctor primi decreti, vi munieris sui, respondet; superior autem, qui decretum ad normam can. 10 mutavit, eatenus respondet, quatenus ex eius decisione damna obvenerint ».

Canones omnibus placent. Tantum aliquae emendationes proponuntur in can. 18 § 2:

– Rev.mus quartus Consultor proponit: «... lex particularis statuit terminum *utilem*, non ultra etc...» (Omnibus placet).

– Rev.mus tertius Consultor proponit: «... ex die quo damnum *factum* sit » loco «datum sit» (Omnibus placet).

– Rev.mus octavus Consultor proponit suppressionem alterius partis § 2, quae demandanda esset iuri particulari (Placet n. 1; non placet n. 13).

QUAESTIO 4. Cum schema factum sit ad Codicem recognoscendum, annotatione in eo facta est de normis circa recursum hierニックum et tribunal administrativum intra ambitum religionum iterum redigendis postquam normae generales de religiosis eorumque exemptione latae fuerint.

Nunc autem, si lex de procedura administrativa feratur, aut hierarchia religiosa omnino ignoratur et res remittitur ad aliam peculiarem legem, aut normae de hac re definiri debent (nec enim potest res in suspenso manere), saltem ita ut constitutiones rem melius determinent.

Si altera via sequenda videatur, animadvertisendum est necessarium esse posse impugnare etiam praeceptum a superiore religioso ex potestate tantum dominativa latum; quod si agatur de religione iuris dioecesani, melius videtur si recursus ad Ordinarium vel ad tribunal administrativum saeculare fiat.

Itaque proponerem ut:

- a) can. 8 § 2 servetur, sed in locum «exemptis» dicatur «iuris pontificii»;
- b) in can. 13 § 1 supprimantur verba «et, ad normam constitutionum, unaquaque religio», et in fine paragraphi addantur, post punctum et comma, haec verba: «item fiat in unaquaque religione iuris pontificii, ad normam constitutionum»;
- c) in can. 13 § 2 pro verbo «exemptarum» dicatur «iuris pontificii».

Rev.mus Secretarius animadvertisit quaestionem de iustitia administrativa ordinanda apud religiosos esse nimis implexam et fere insolubilem in hodierno stadio recognitionis iuris religiosorum. Videndum erit quid fiat in novo iure de religionibus laicalibus, praesertim mulierum; quomodo ordinetur exemptione religiosorum et alia huiusmodi.

Ceterum melius erit si indicationes circa modum ordinandi iustitiam administrativam ab ipsis religiosis nobis venerint.

Relator censet iustitiam administrativam religiosorum hac ratione forsitan ordinari posse:

- religiosi iuris dioecesani submitti possunt legi generali;
- pro religiosis vero iuris pontificii videant Constitutiones quod attinet ad recursum hierニックum, salvo iure recurrenti ad Signaturam adversus decisiones Sacri Dicasterii. Quod attinet vero ad tribunal administrativum, religiosi adire possent Signaturam Apostolicam vel alia tribunalia administrativa iuxta praeceptum Constitutionum.

Rev.mus Secretarius censet perdifficile esse nunc statuere de relationibus religiosorum cum organis quae sint extra religionem.

Rev.mus undecimus Consultor concordat circa difficultates factas a Rev.mo Secretario et addit materiam contentionis inter religiosos non eundem respectum habere ac apud alios: ex. gr. damna inter ipsos religiosos resarciri possunt tantum per aliquam satisfactionem moralem, non autem materialem.

Attentis his difficultatibus Coetus censet in nostro schemate nil dicendum esse de iustitia administrativa apud religiosos. Relatori committitur ut aliquam normam genericam proponat de hac re.

**Adunatio IV<sup>a</sup>**  
**die 2 iulii 1971 vespere habita**

**QUAESTIO 5.** Oportet definire utrum controversia de iure subiectivo decidi possit per actum administrativum:

- a) si sit controversia orta ex actu administrativo (cfr. can. 2 § 1);*
- b) si omnes, quorum intersit, consentiant.*

Schema utrumque casum admittit.

Si utrumque casum excludere velimus, deberet can. 4 bis inseri, hoc modo: « Decretum extra iudicium latum non potest controversiam de iure subiectivo valide dirimere »; et praeterea canoni 10 altera addi paragraphus: « Si autem perspiciat decreto impugnato ius subiectivum esse laesum, ex officio rem ad tribunal (administrativum) in primo gradu competens remittat ».

Si exclusum velimus tantummodo casum a quoies non habeatur consensus omnium quorum intersit, idem potest fieri, additis ad utramque normam opportunis verbis (« nisi omnes, quorum intersit, consentiant » vel alia huiusmodi).

Relator clarius explicat sensum quaestionis. Non agitur de impugnatione decreti, quo quis contendat esse gravatum: statim enim ac ex actu administrativo oriatur controversia de iure subiectivo, impugnari potest decretum. Hic vero quaeritur num solvi possit via administrativa controversia de iure subiectivo, quae connexionem habet cum decreto, quin impugnetur decretum ipsum.

Omnis Sodales huic quaestioni affirmative respondent, dummodo tamen adsit partium consensus. Munus committitur Relatori redigendi aptam formulam canonis, si necessarium videatur.

**QUAESTIO 6.** Utrum servari debeat regula in can. 2 § 2 enuntiata an sit statuenda regula « electa una via non datur recursus ad aliam », etiamsi omnes, quorum intersit, consentiant.

Fere omnes Sodales volunt servare regulam in can. 2 § 2 enuntiatam de

possibilitate scilicet transeundi, lite pendente, a foro iudicali ad viam administrativam, si omnes partes consentiant.

Rev.mi octavus et nonus Consultores vero eligere vellent regulam: «electa una via non datur recursus ad aliam».

Relator adhuc quaerit num admitti possit transitus a tribunali administrativo ad superiorem competentem et Sodales omnes affirmative respondent, dummodo partes consentiant.

Committitur Relatori ut aptas formulas canonum redigat.

QUAESTIO 7. Utrum expedit ut expresse dicatur posse (vel debere?) ab iis qui administrativa potestate discretionali polleant, principia enuntiari quibus in singulis materiis ipsi in decretis ferendis se gerent an melius sit nihil de hoc dicere, ita ut possit tantummodo per legem particularem (cfr. etiam can. 3, quod attinet ad rationem procedendi) provideri.

Rev.mus octavus Consultor tenet hunc modum agendi Episcoporum, re-nuntiandi scilicet principia quibus ipsi in decretis ferendis se gerant, maxime conferre iustitiae administrativae in dioecesibus, quia hoc modo christifideles sciunt quid et quomodo petere possint, et ipsi Episcopi constantes erunt in suo modo agendi.

Em.mus Praeses et Rev.mi quartus et decimus Consultores censem propositionem Rev.mi octavi Consultoris inducere posse aliquam paralism in gubernio dioecesi eo vel magis quia Episcopus accusari posset apud tribunal ob inobservantiam illorum «principiorum» ab ipso enuntiatur.

Rev.mus Secretarius notat in vigenti legislatione hoc munus enuntiandi principia et normas pertinere ad Synodos dioecesanas.

Rev.mi quintus, tertius, septimus, primus et nonus Consultores censem hanc quaestionem relinquendam esse iuri particulari.

Rev.mi secundus et duodecimus Consultores animadvertunt quaestionem hanc pertinere ad ius substantivum in parte «de sacra hierarchia».

Plures alii Sodales admittunt quaestionem hanc non pertinere ad proceduram, de qua hic agitur et ideo de ipsa quaestione nulla conclusio habetur.

**Adunatio V<sup>a</sup>**  
**die 5 iulii 1971 mane habita**

QUAESTIO 8. Utrum possit remitti ad leges particulares statuere a quo debeat iudicari recursus hieraticus adversus decreta ab Episcopo eiusve delegato lata (can. 8 § 1, n. 2); an saltem debeat hic statui recursum esse iudicandum a consilio, cuius praeses sit aliqui Episcopus.

Quaeritur utrum consilium, a Conferentia episcopali constitutum ad normam can. 8, n. 2 schematis (cfr. Adnexum III), componi debeat sodalibus Episcopis an illi consilio accenseri possint etiam sodales presbyteri quibus praesit aliquis episcopus. Praeterea quaeritur utrum haec quaestio solvenda sit in lege generali an remittenda potius ad ius particulare.

Em.mus Praeses favet solutioni accensendi presbyteros illi consilio, quia saepe Episcopi Conferentiarum episcopalium multis laboribus obruuntur.

Rev.mi quartus et decimus Consultores vellent ut pro regula sodales illius consilii sint Episcopi; ubi vero peculiares circumstantiae id exigant, eligi possunt pro illo munere etiam presbyteri.

Rev.mus quintus Consultor censem rem demandandam esse iuri particulari.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut haec quaestio resolvatur post discussionem quaestionum sub 9, 10 et 11.

Alii Sodales concordant cum Rev.mo septimo Consultore.

QUAESTIO 9. Num sit abolendum ius deferendi recursum hierニックum immediate ad Romanae Curiae dicasterium adversus decretum Episcoporum vel inferiorum, uti nunc proponitur in can. 8 § 1, n. 3.

Plures Sodales censem non esse abolendum ius deferendi recursum hierニックum ad Sanctam Sedem quia secus laederetur ius fidelium et aliquo modo inficeretur primatus Romani Pontificis (Rev.mi quartus, decimus, sextus, primus, secundus, duodecimus et undecimus Consultores).

Alii Sodales vellent ut ne possit recurri ad Sanctam Sedem antequam recursus ad gradus inferiores delatus sit. Id postulatur a principio subsidiarietatis et etiam rationibus practicis commendatur, quia melius et celerius examinari possunt recursus ab inferioribus gradibus.

Neque quid supremae auctoritati Romani Pontificis tolleretur, quia ipse Pontifex, per suam legem, talem proceduram disponeret (Rev.mi quintus, septimus, octavus et nonus Consultores).

Rev.mus primus Consultor notat quod in praxi SS. Congregationes semper iudicant in 2<sup>a</sup> instantia, quia semper aliquam instructionem causae a gradibus inferioribus postulant antequam iudicium ferant. Attamen in linea principii non debet negari ius deferendi immediate recursum ad Sanctam Sedem.

Rev.mus Secretarius responderet talem praxim Congregationum, etsi laudabilem, esse mere discretionalem. De iure Congregationes possent ferre iudicium in 1<sup>a</sup> instantia. Principium subsidiarietatis vero postulat ut procedatur per gradus et non videntur adesse rationes tales quae necessario exigant possibilitatem immediati recursus ad Sanctam Sedem.

Em.mus Praeses, ad componendas diversas sententias, proponit ut in ca-

none numerentur varii gradus recursus hierarchici quin tamen expresse veratur possibilitas recurrendi immediate ad Sanctam Sedem.

Suffragatur placeatne ut fiat tantummodo index graduum superiorum hierarchicorum:

omnibus placet.

Suffragatur placeatne propositio ut quis recurrere debeat ad superiorem immediatum eius qui decretum tulit:

placet n. 6; non placet n. 6; placet iuxta modum n. 2.

*Modus.* dicatur: «... recurri debet ad superiorem immediatum, salvo iure cuiuslibet fidelis ad adeundum Romanum Pontificem». (Placet n. 9; non placet n. 3; abstinent a sententia ferenda n. 2).

Relator praeterea proponit ut hic alias gradus indicetur in can. 8 (cfr. Adnexum III): «Adversus delegati decretum recursus fit ad delegantem».

Propositio Relatoris omnibus placet.

Adunatio VI<sup>a</sup>  
die 5 iulii 1971 vespere habita

QUAESTIO 10. Num superiori hierarchico, in recursu decidendo, non ea potestas sit tribuenda, quae in can. 10 proponitur, sed ea tantum quae in can. 15 (cfr. Adnexum III).

a) Fere omnes Sodales (exceptis Rev.mis quinto, octavo et nono Consultoribus) tribuere volunt superioribus hierarchicis facultatem iudicandi de merito decreti, praeterquam de ipsius legitimitate.

Praeses quaerit quinam sint superiores hierarchici, scilicet num Conferentia episcopalis consideranda sit tanquam gradus superioris hierarchici inter Episcopum et Sanctam Sedem. Praeses censet Conferentiam non esse superiorem hierarchicum Episcopi quia Conferentia est iuris ecclesiastici, dum Episcopus est iuris divini.

Rev.mi quintus, tertius, nonus et undecimus Consultores censent non repugnare constitutioni 2<sup>o</sup> gradus superioris hierarchici qui sit Conferentia episcopalis.

Alii Sodales censent Conferentiam episcopalem nullo modo agere posse tanquam superior hierarchicus Episcopi.

Rev.mus secundus Consultor censet configurari posse aliquod consilium, delegatum a Sancta Sede, apud tribunal administrativum, quod habeat facul-

tatem examinandi recursum et decidendi num recursus transmittendus sit tribunali administrativo.

Relator respondet propositionem Rev.mi secundi Consultoris practice recipi si dicatur tribunal Conferentiae episcopalnis teneri ad fovendam compositionem antequam iudicium incipiat.

b) Deinde quaeritur quaenam sit potestas tribunalis administrativi circa decreta.

Omnis Sodales admittunt tribunali administrativo competere potestatem videndi de legitimitate non autem de merito neque de opportunitate alicuius decreti.

Rev.mus quintus Consultor petit ut eidem tribunali tribuatur potestas videndi de iustitia vel iniustitia decreti. Ex. gr. rector Seminarii adimere vult alicui professori munus docendi paulo ante quam ipsi professori ius ad pensionem adveniat: tale decretum potest esse formaliter legitimum sed substantialiter iniustum.

Relator censet propositum Rev.mi quinti Consultoris esse bonum; difficilis tamen videtur formulatio normae quae revera restringi possit ad casus reales iniustitiae. Forsan compleri ita posset can. 11: «Adversus decretuum potest is cuius interest... recurrere... si ipse contendat violatam esse legem vel *generalia iuris principia vel aequitatis...*».

Rev.mi quintus, tertius, nonus et octavus Consultores approbant solutionem propositam a Relatore.

Alii Sodales timent ne per hanc extensionem potestatis tribunalis difficilis evadat gubernatio dioecesis, quia iudicium circa aequitatem alicuius decreti iam implicare potest iudicium circa discretionalem et forsitan circa ipsum meritum ipsius decreti. Quare aliqui petunt ut nulla additio fiat in can. 11 (Rev.mi quartus, primus, secundus et undecimus Consultores), alii petunt ut fiat additio tantum circa violationem «principiorum iuris» non autem «aequitatis» (Rev.mi decimus et septimus Consultores), alii vellent qualificare illa principia per verbum «indubitata» (Rev.mus sextus Consultor). Rev.mus duodecimus Consultor proponit ut consideretur violatio «contra ordinarium modum agendi», potius quam violatio «contra generalia iuris principia vel aequitatis».

Sodales disputant inter se circa varias solutiones, deinde Rev.mus Secretarius proponit ut formula can. 11, § 1 ita compleatur: «... si ipse contendat in decidendo vel in procedendo violatam esse legem vel generalia iuris aequitatis canonicae principia servata non esse...».

Placet n. 13; non placet n. 1.

Relator proponit ut ipse can. 11 § 1 in fine ita compleatur: «...vel ea (motiva) satis non esse ad decretum sustinendum »:

Placet n. 1; non placet n. 13.

QUAESTIO 11. Num expedit ut recursus ad tribunal administrativum admittatur propter quodlibet motivum (scilicet, quoties quis se gravatum esse contendat), saltern si id statuat lex particularis (cfr. etiam animadversiones nn. 10 et 17).

QUAESTIO 12. Utrum norma de qua in can. 11 § 3, altera periodo, sit invertenda an sit relinquendum legi particulari statuere quod sit faciendum in eo casu (praeter casum quo decretum, quod impugnatur, latum sit a Curia Romana).

De quaestionibus 11 et 12 non fit discussio cum iam ex praecedenti discussione habeantur sufficientes indicationes pro solutione ipsarum.

QUAESTIO 13. Num admitti possit:

a) ubi territorium Conferentiae episcopalnis sit amplum, plura tribunalia parallela (cum competentia territorialiter delimitata) constituuntur;

b) ut Conferentia episcopalnis, si opportunum censeat, tribunalia primi et secundi gradus in suo territorio constituantur; si id statuatur, oportebit etiam declarare servandum sit principium de non admittenda appellazione post duplum sententiam conformem, et num a tribunali primi gradus possit directe ad Signaturam Apostolicam appellari.

Ad quaesitum n.13, sub a) omnes Sodales affirmative respondent.

Ad quaesitum n. 13, sub b) omnes Sodales approbant propositionem Rev.mi quarti Consultoris, id est:

– Conferentia episcopalnis, si opportunum censeat, tribunalia secundi gradus in suo territorio constituere potest;

– partes tamen facultatem habent appellandi directe ad Signaturam Apostolicam, quin adeant tribunal 2<sup>o</sup> gradus sui territorii.

Relator quaerit num Conferentia episcopalnis constituere possit tribunal 2<sup>o</sup> gradus etiam quando in eadem regione unum tantum tribunal 1<sup>o</sup> gradus constitutum sit.

Sodales respondent affirmative.

Relator praeterea quaerit num admittendus sit recursus ad Signaturam Apostolicam post duplum sententiam conformem.

Omnes Sodales, exceptis Ill.mo Relatore et Rev.mo tertio Consultore, respondent negative.

**Adunatio VII<sup>a</sup>  
die 5 iulii 1971 vespera habita**

QUAESTIO 14. Utrum debeat aboleri can. 14 § 2, ita ut res ad leges particulares remittatur.

Sodales volunt ut norma can. 14 § 2 (cfr. Adnexum III) maneat in lege generali, attamen aliqui censem normam temperandam esse, quia non in omni iudicio necessaria est praesentia promotoris iustitiae.

Rev.mi quintus et tertius Consultores enim notant saepe ipsum Episcopum esse partem in iudicio et ideo ad ipsum pertinet munus defensionis boni publici.

Rev.mus quartus Consultor et Ill.mus Relator animadvertisunt quod per impugnationem decreti in dubium revocatur ipsa praesumptio quod Episcopus, in illo casu concreto, defendat bonum publicum et ideo necessaria est praesentia promotoris iustitiae; si agatur de actione damnorum praesentia promotoris iustitiae omitti potest.

Rev.mus secundus Consultor hanc solutionem proponit: ipse promotor iustitiae, inspectis actis causae, decernat de suo interventu in illa causa.

Rev.mus quintus Consultor vero proponit ut ipsum tribunal in singulis casibus decernat utrum promotor iustitiae intervenire debeat necne.

Suffragatur placeatne propositio Rev.mi quinti Consultoris: placet n. 11; non placet n. 3.

QUAESTIO 15. Utrum de tribunalis administrativi compositione (can. 14 §§ 1 et 3) nihil debeat generaliter statui, re ad legem particularem remissa; an saltem debeat normae ita mutari, ut unus ex tribus iudicibus possit esse laicus, vel ut, saltem si partes consentiant, iudicium ferri possit ab uno iudice.

Aliqui Sodales optant ut ius particolare statuat de compositione tribunalis administrativi. At maior pars Sodalium praeferunt ut saltem indicationes generales habeantur in lege communi.

Post brevem discussionem committitur Relatori ut redigat normam secundum hanc mentem:

Tribunal 1° gradus generaliter sit collegiale. In casu necessitatis Conferentia episcopalis permittere potest constitutionem collegii per aggregationem unius viri laici, dummodo iudicium ne versetur circa actum aliquem Episcopi et dummodo ne agatur de re poenali. In casu necessitatis et consentientibus partibus permitte potest tribunal unius iudicis.

Tribunal 2° gradus debet esse saltem trium iudicium.

QUAESTIO 16. Num admitti debeat ut Conferentiae episcopales non solum normas procedendi «praeter legem» (can. 3 schematis) ferant, et etiam ut de-

rogent, quod attinet ad processum coram tribunali administrativo, normis Codicis ad quas can. 14 § 5 remittit (cfr. Adnexum III).

Quod attinet ad hanc quaestionem Sodalibus placet ut schema canonum servetur prout est.

QUAESTIO 17. Utrum tribunalibus administrativis (aut saltem generali legge Signaturae Apostolicae, ceteris vero tribunalibus si lex particularis ita statuat) eadem potestas sit tribuenda, quae in can. 10 nunc proponitur de superiori hierarchico an id ad ulterius tempus remittendum sit, postquam videlicet eorum tribunalium iudices maiorem experientiam et usum acquisierint (cfr. etiam animadversiones nn. 10 et 11).

Sodales unanimiter decernunt omnibus tribunalibus cuiuscumque gradus eandem potestatem tribuendam esse.

His omnibus disceptatis, finis Sessioni imponitur.

Romae, die 5 mensis iulii 1971.

QUARTUM CANONUM SCHEMA  
DE PROCEDURA ADMINISTRATIVA

a Relatore apparatum post Consultorum Sessiones  
diebus 1-5 iulii 1971 habitas

INDEX

Animadversio praevia

- I. Normae generales (cann. 1-4)
- II. De decretis extra iudicium ferendis (cann. 5-8)
- III. De remediis adversus decreta (cann. 9-13)
- IV. De tribunalibus administrativis (cann. 14-16)
- V. De ratione procedendi (cann. 17-22)

ANIMADVERSIO PRAEVIA

I. In quarto hoc schemate canonum de procedura administrativa parando praesertim conatus sum fideliter referre mutationes, quas Coetus Consultorum in Sessione diebus 1-5 mensis Iulii huius anni habita proposuit.

Praeterea nonnulla mutavi:

- a) perspicuitatis causa, quod attinet ad formam, vel quod attinet ad principiorum enuntiationem (cfr. e.g. cann. 6 § 1, 9, et 21 § 3 de contumacia);
- b) propter rationes technicas (e.g. cann. 5 § 1, de legitime contradicente, 6 § 2 de termino longiore, 10 § 2 de lege particulari, 10 § 3, 17 § 2 de parte renuente).

Normae, quae enuntiantur in cann. 18 et 22 § 1, nihil differunt a normis quae enuntiatae erant in schemate tertio, cum de iis nihil disputatum sit in Sessione diebus 1-5 iulii.

Romae, die 18 Septembris MCMLXXI

(Pius Ciprotti)  
Relator

## I. NORMAE GENERALES

*Can. 1*

Quae hac lege de decretis extra iudicium latis statuuntur, item applicanda sunt ad rescripta, praecepta dispensationes, licentias, ceterosque administrativos actus singulis datos, extra iudicium lata, iis exceptis actibus, qui ab ipso Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico ferantur.

*Can. 2*

Hac lege nihil mutatur de iure vigenti quod attinet ad recursus adversus decreta, quae a superioribus vel capitulis in religionibus iuris pontificii ferantur.

*Can. 3*

Item hac lege nihil mutatur de iure vigenti quod attinet ad leges, ordinaciones, instructiones, decreta generalia, aliosque eiusmodi actus ferendos vel impugnandos. Earum autem normas, quas legi vere ordinationi superioris auctoritatis adversari iudicet, iudex sive in tribunali ordinario sive in tribunali administrativo applicare non potest; quod si in quolibet iudicii stadio constet quaestionem de normae invaliditate iam ad Apostolicam Sedem ab aliquo ecclesiastico superiore esse delatam, tribunal debet iudicium suspendere, Apostolicam Sedem certiorem faciens eiusque responsum exspectans.

*Can. 4*

Quae hac lege statuuntur, eatenus valent, quatenus aliter non caveatur in canonibus, qui de singulis negotiorum generibus normas dant; quod vero attinet ad rationem procedendi et ad iudicium et advocatorum qualitates, lex particularis, a conferentia episcopali nationali vel ab Episcopo lata, alias normas, ad liceitatem servandas, addere potest, quae praescriptis iuris communis non derogent.

## II. DE DECRETIS EXTRA IUDICIUM FERENDIS

*Can. 5*

§ 1. Antequam decretum extra iudicium ferat, superior quatenus fieri possit, necessarias notitias et probationes exquirat; nisi impossibile vel omnino su-

perfluum sit, eos omnes audiat, quorum interest; petitori vel recurrenti, et etiam legitime contradicenti, notitias et probationes omnes patefaciat, quae sine publici vel privati damni periculo cognosci possint, et rationes forte contrarias ostendat, data eis facultate respondendi, et etiam, dum ne id celeritati nocteat, patronum vel peritum constituendi.

§ 2. Quod si agatur de decreto, quo recursus adversus aliud decretum deciditur, recurrens semper ius habet advocatum vel procuratorem adhibendi, vi-tatis inutilibus moris; immo vero patronus ex officio constituantur, si recurrens patrono careat et superior necessarium censeat; semper tamen potest superior iubere ut recurrens ipse compareat, ut interrogetur.

#### *Can. 6*

§ 1. Recepta petitione vel recursu ad decretum obtainendum, superior decretum intra sexaginta dies ferat; quod si non fecerit, et petitor vel recurrens scripto instet ut decisio detur, trigesimo die, ex quo haec instantia ad superioris officium pervenit, petitio vel recursus pro reiecto habetur, ita ut recursus adversus reiectionem proponi possint quasi eo die per decretum prolata sit.

§ 2. Lex particularis potest de hac re terminos breviores statuere, vel etiam, quod attinet ad nonnulla gravioris difficultatis negotia, longiores.

#### *Can. 7*

§ 1. Qui decretum fert, id prae oculis habeat et intendat, quod animarum saluti et publico bono maxime conducere videatur, servata quidem lege et generali et particulari, iustitia, canonica aequitate.

§ 2. Decretum scripto feratur, expressis, saltem summarie, motivis; quod si forte gravissima ratio obstet, ne motiva patefiant, haec in secreto documento exprimantur, quod superiori petenti est ostendendum.

#### *Can. 8*

§ 1. Decretum statim vim habet, postquam ei, ad quem destinatur, ad normam cann. 1716-1722 Codicis Iuris Canonici est notificatum, vel aliter scripto intimatum; quod si gravissima obstet ratio ne scriptus decreti textus tradatur, potest superior iubere ut decretum ei coram duobus testibus legatur, processu verbali redacto ab omnibus praesentibus subscribendo.

§ 2. Si autem is, ad quem decretum destinatur, rite vocatus ad decretum accipiendo vel audiendum, sine iusta causa non comparuerit vel subscribere recusaverit, decretum pro intimato habetur.

## III. DE REMEDIIS ADVERSUS DECRETA

*Can. 9*

Adversus decreta extra iudicium lata non datur actio iudicialis coram tribunalibus ordinariis, etiamsi quis contendat decreto ius suum esse laesum et damna esse reparanda; dantur autem, ad normam canonum qui sequuntur, recursus hierarchicus ad superiorem eius, qui decretum tulit, et recursus ad tribunalia administrativa.

*Can. 10*

§ 1. Antequam quis recursum proponat adversus decretum, debet ab ipso decreti auctore revocationem vel emendationem decreti scripto petere; si decreti auctor intra triginta dies, ex quo haec petitio ad suum officium perveniret, decretum emendet, termini ad recurrendum decurrunt ex novi decreti intimatione; secus decurrunt ex tricesimo die.

§ 2. Petatio, de qua in § 1, debet fieri intra peremptorium terminum decem dierum utilium a decreto ad normam can. 8 intimato, nisi lex particularis alium terminum statuat.

§ 3. Normae huius canonis non valent de impugnando decreto, quo superior de recursu hierarchico decidat.

*Can. 11*

Recursus ad superiorem hierarchicum regitur vigentibus legibus, salvis praescriptis cann. 4-10, 12, 13 § 3, et 20 huius legis; recursus autem, nisi lex aliter caveat, proponendus est intra peremptorium terminum decem dierum utilium.

*Can. 12*

§ 1. Adversus decretum extra iudicium datum, etiamsi agatur de decreto quo recursus hierarchicus deciditur, potest is, cuius interest, ad tribunal administrativum recurrere, si contendat violatam esse legem in decidendo vel in procedendo, vel generalia iuris aequitatis canonicae principia non esse servata, vel motiva in decreto allata non esse vera.

§ 2. Recursus proponendus est intra peremptorium terminum triginta dierum utilium.

*Can. 13*

§ 1. Si decretum, quod sit illegitimum ad normam can. 12 § 1, ius alicuius laeserit, laesus potest coram tribunalii administrativo de damnis agere.

§ 2. Ad actionem proponendam, de qua in § 1, lex particularis statuit terminum utilem, non tamen ultra annum, qui ex die quo damnum factum sit decurrat; terminus autem tandem suspensus manet, quandiu coram tribunalii administrativo adversus idem decretum pendeat recursus, quorum actio de damnis cumulata non sit.

§ 3. Etsi decretum confirmatum vel mutatum sit a superiore ad normam can. 11, de damnis tamen, si forte debeantur, auctor primi decreti, vi munera sui, respondet; superior autem, qui decretum ad normam can. 11 mutavit, eattenuus respondet, quatenus ex eius decisione damna obvenerint.

## IV. DE TRIBUNALIBUS ADMINISTRATIVIS

*Can. 14*

Unaquaeque conferentia episcopalis nationalis tribunal administrativum primi gradus stabiliter constitut, vel, si opus sit, plura per territorium distributa, quae videant de recursibus adversus decreta ab Episcopis vel ab inferioribus auctoritatibus extra iudicium lata.

*Can. 15*

§ 1. Conferentia episcopalis nationalis potest etiam unum tribunal administrativum secundi gradus constituere.

§ 2. Quod si fecerit:

a) adversus sententiam primi gradus appellari potest vel ad tribunal secundi gradus vel ad Signaturam Apostolicam; si tamen alius ad aliud tribunal appetet, de appellatione videt Signatura Apostolica, nisi haec aliter decernat;

b) adversus duplēm sententiam conformem non datur appellatio ad Signaturam Apostolicam.

*Can. 16*

Signatura Apostolica videt:

a) in primo gradu de recursibus adversus decreta lata vel approbata a conferentiis episcopalibus nationalibus earumque organis, a conciliis particulari-

bus, a Sanctae Sedis dicasteriis, et generatim a quolibet, qui superiorem infra Romanum Pontificem non habeat, vel ab eorum delegatis;

b) in secundo vel tertio gradu de appellationibus adversus sententias latae a tribunalibus, de quibus in cann. 14 et 15.

#### V. DE RATIONE PROCEDENDI

##### *Can. 17*

§ 1. Tribunal administrativum primi gradus iudicat per collegia trium iudicum; tribunalia secundi gradus per collegia trium vel quinque iudicum.

§ 2. Si difficile sit tribunal collegiale semper paratum habere, conferentia potest statuere ut omnia vel nonnulla iudicia primi gradus ad iudicem unicum deferantur; quod si qua pars renuat, iudicium ex officio ad Signaturam Apostolicam in primo gradu deferatur.

§ 3. Tribunal potest semper iubere ut in iudicium interveniat promotor iustitiae, si id utile censeat ad bonum publicum tutandum.

§ 4. Iudices et promotor iustitiae sint idonei sacerdotes, qui in decreto ferendo vel in recursibus proponendis vel iudicandis nullam partem habuerint, neque ad eam dioecesim pertineant in qua decretum latum est; necessitate suadente potest unus ex iudicibus esse laicus, nisi iudicandum, sit de recursu adversus decretum ab Episcopo latum.

##### *Can. 18*

Si recurrens id petat et gravis causa suadeat, tribunal potest iubere ut pendente processu exsecutio decreti suspensa maneat.

##### *Can. 19*

§ 1. Superior, adversus cuius decretum recursus primum propositus est, iisque omnes, praeter recurrentem, quos illud decretum directe attingit, citari debent, et eadem iura habent, quae pars conventa in ordinariis iudiciis.

§ 2. Superiorem et recurrentem iudex hortetur, quandocumque spem boni exitus perspicit, ut vel per voluntariam decreti emendationem vel per aequam compensationem vel alio idoneo modo controversia ante sententiam dirimatur.

*Can. 20*

§ 1. Si adversus idem decretum intra terminos iure statutos recursus propositi sint et ad superiorem hierachicum et ad tribunal administrativum competens, unius tribunalis administrativi est de omnibus recursibus iudicare.

§ 2. In quolibet alio casu superior, coram quo pendet recursus hierachicus, potest recursum ad tribunal administrativum competens remittere, si consen-tiant et decreti auctor et recurrens.

*Can. 21*

§ 1. In ceteris, quae ad rationem procedendi attinent, applicandi sunt, ni-si rei natura obstet, Codicis canones de iudiciis in genere (CIC lib. IV, pars 1, sect. I), servatis specialibus normis de causis ad bonum publicum spectantibus; item servanda sunt praescripta legum particularium, quae secundum hanc le-gem latae sint.

§ 2. Tribunal potest, decreto motivis praedito, normis processualibus, quae non sint ad validitatem statutae, derogare, ut celeritati, salva tamen iustitia, consulat.

§ 3. Normae Codicis Iuris Canonici de contumacia et de restitutione in integrum propter neglectum legis praescriptum applicari nequeunt in iudiciis coram tribunalibus administrativis.

*Can. 22*

§ 1. Tribunal administrativum potest decretum, quod illegitimum ad normam can. 12 § 1 iudicet, rescindere vel irritum declarare, non autem emenda-re vel aliter mutare.

§ 2. Si actio de damnis proposita sit ad normam can. 13, tribunal debet de damnis statuere; quodsi nullus propositus sit recursus intra terminum in can. 12 § 2 statutus, tribunal potest quidem de decreti legitimitate vel illegitimita-te videre, non autem ad decretum rescindendum vel irritum declarandum, sed tantummodo ad quaestionem de damnis definiendam.

ADNEXUM I

SCHEMA CANONUM PRAEVIMUM  
DE PROCEDURA ADMINISTRATIVA

INDEX

Animadversio praevia

- I. Normae generales (cann. 1-2)
- II. De decretis extra iudicium ferendis (cann. 3-5)
- III. De iuris remediis adversus decreta extra iudicium lata (cann. 6-16)
  1. De recursu administrativo (cann. 6-7)
  2. De recursu ad tribunalia administrativa (cann. 8-12)
  3. Normae utriusque recursui communes (cann. 13-14)
  4. De actione iudiciali (cann. 15-16)

ANIMADVERSIO PRAEVIA

Quae materiae inde ab initio debeant via administrativa, quae vero via iudiciali tractari, non videtur posse generaliter statui: id patere debet ex canonibus de singulis negotiis seu negotiorum classibus cum in Ecclesia possit opportune et utiliter via administrativa adhiberi, saltem initio, etiam in rebus, quae in civitatibus soleant iudicialiter tractari.

Item videtur expedire ut canones de singulis materiis statuant num et quantum negotium, via administrativa incepunt, ad viam iudicialem, praeter recursum vel actionem, remitti a superiore, consentientibus vel non consentientibus iis quorum intersit, possit.

Difficile videtur proceduram stricte administrativam eadem ratione pro omnibus regionibus minute constituere. Propterea in schemate (can. 2) legibus et instructionibus particularibus commissum est ut, si forte videatur necessarium vel utile, alias normas de hac re ferant, ad complendas Codicis normas.

Postquam normae generales de procedura administrativa, quas solas habet schema, paratae erunt, videndum erit num quae normae speciales de nonnullis administrativis negotiis sint parandae, vel saltem num normae hae speciales, ab aliis Coetibus forte paratae, sint a nostro Coetu recognoscenda.

Antequam canones schematis perpendantur, p<sup>r</sup>ae oculis habenda sunt quae *Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant*, n. 7, de his rebus praebent.

Romae, die 25 mensis maii 1970

(Pius Ciprotti)  
Relator

## I. NORMAE GENERALES

### *Can. 1*

Ea quae in canonibus huius tituli decretis extra iudicium latis statuuntur, item applicanda sunt, nisi aliud expresse dicatur, ad rescripta, p<sup>r</sup>aecepta omnesque ordinationes, leges quoque, extra iudicium lata, iis exceptis, quae ab ipso Romano Pontifice ferantur.

### *Can. 2*

Quae in canonibus huius tituli statuuntur, eatenus valent, quatenus aliter non caveatur in canonibus, qui de singulis negotiorum generibus normas dant; quod vero attinet ad rationem procedendi, leges particulares et instructiones possunt alias normas addere.

## II. DE DECRETIS EXTRA IUDICIUM FERENDIS

### *Can. 3*

§ 1. Antequam decretum extra iudicium feratur, superior, [quatenus fieri possit,] necessaria documenta, peritias, testimonia, etiam iurata, consulat (vel: adhibeat); nisi omnino superfluum sit, eos omnes audiat, quorum interest; petitori vel recurrenti notitias et probationes omnes patefaciat, quae sine publico vel privato detrimento cognosci possint, et rationes omnes ostendat, quae contra allatae sint vel afferri possint, data eis facultate respondendi et etiam, dum ne id celeritati vel iustitiae noceat, patronum et peritum constituendi; in decreto autem ferendo id p<sup>r</sup>ae oculis habeat et intendat, quod animarum saluti et publico bono maxime conducere videatur, servata quidem lege, iustitia, canonica aequitate.

§ 2. Quod si agatur de decreto, quo recursus deciditur, recurrens semper ius habet advocatum vel procuratorem adhibendi, vitatis inutilibus moris; immo vero patronus ex officio constituatur, si recurrens patrono careat et superior necessarium censeat; semper tamen potest superior iubere ut recurrens ipse compareat, ut interrogetur (vel: potest superior recurrentem ipsum interrogare).

*Can. 4*

In decreto, saltem summarie, vera motiva exprimantur; quod si forte gravissima ratio obstet (vel: quod si serio timeatur ne, motivis expressis, civilis auctoritas graves allatura sit molestias), in documento secreto motiva exprimantur, quod superiori petenti est ostendendum.

*Can. 5*

§ 1. Decretum singulis hominibus vel communitatibus datum statim vim habet, postquam ei, ad quem destinatur, ad normam cann. ... notificatum est, vel aliter scripto aut, processu verbali ab omnibus praesentibus subscripto, coram duobus testibus intimatum; quod si ille, rite vocatus ad accipendum vel audiendum decretum, sine iusta causa non comparuerit, decretum pro intimo habetur.

§ 2. Decreta generalia, ordinationes, instructiones aliaque eiusmodi sunt idoneo modo publicanda, vel ad eos omnes, quorum interest, intimanda.

**III. DE IURIS REMEDIIS ADVERSUS DECRETA EXTRA IUDICIUM LATA***1. De recursu administrativo**Can. 6*

§ 1. Adversus quodlibet decretum potest recursus administrativus proponi:

- 1) ad Episcopum, si decretum eius inferior tulit; Episcopus autem potest sacerdotem delegare ad recursum [examinandum vel etiam] decidendum;
- 2) ad consilium trium Episcoporum, si decretum ab Episcopo sit latum, et conferentia episcopalnis eiusmodi consilium stabiliter constituerit, vel in singulis casibus deputatum iri statuerit;
- 3) ad Romanum dicasterium competens vel ad ipsum Romanum Pontificem, in ceteris casibus, vel, si recurrens malit, etiam in casibus, de quibus in nn. 1 et 2.

§ 2. In religionibus exemptis competentia ad recursus administrativos recipiendos in constitutionibus determinatur.

*Can. 7*

§ 1. Recursus administrativus decreti exsecutionem suspendit, nisi superior aditus eam iubeat.

§ 2. Non suspendit tamen exsecutionem, nisi vel superior qui decretum tulit vel superior aditus aliud statuat:

- 1) si propositus sit post decem dies utiles a decreto intimato vel, si singulis non intimetur, publicato;
- 2) si sit adversus legem vel generalem ordinationem;
- 3) si antea ipse recurrens tribunal administrativum adierit;
- 4) si propositus sit non quod recurrens se gravatum contendat, sed quod contendat (vel: si propositus sit, non ab eo cuius intersit, sed ab eo qui contendat) vel legem esse violatam, vel publico bono detrimentum vel periculum allatum esse, vel potestatis abusum esse patratum, vel decretum per errorem metumve esse latum vel nulla iusta causa sustineri.

*2. De recursu ad tribunalia administrativa*

*Can. 8*

§ 1. Adversus decretum potest is, cuius interest, ad tribunal administrativum recurrere, intra terminum peremptorium unius mensis a decreto intimato, vel, si singulis non intimetur, publicato, si ipse contendat in decidendo vel in procedendo legem esse violatam vel abusum potestatis esse patratum.

§ 2. Recursus propter legem violatam datur etiam adversus Romani Pontificis decretum, quod non latum sit in legis modum, nisi tamen Romanus Pontifex expresse edixerit se velle legi derogare.

§ 3. Si adversus idem decretum et recursus administrativus, praeter casus de quibus in can. 7 § 2, et recursus ad tribunal administrativum ab eodem vel a diversis in quolibet stadio proponantur, processus coram tribunali administrativo suspensus manet, donec recursus administrativus aut revocetur aut definiatur.

§ 4. Qui recurrit ad tribunal administrativum adversus superioris decretum, quo recursus administrativus decisus est, potest in ipso recursu petere ut tribunal videat etiam de decreto, adversus quod recursus administrativus pro-

positus erat (vel: videat etiam de legis violatione vel potestatis abusu in eo decreto forte patratis, adversus quod recursus administrativus propositus erat).

*Can. 9*

Recursus ad tribunal administrativum non suspendit decreti exsecutionem, nisi tribunal, ex recurrentis petitione, id iubeat.

*Can. 10*

Tribunal administrativum potest decretum, quod illegitimum iudicet, rescindere vel irritum declarare, non autem emendare vel aliter mutare.

*Can. 11*

§ 1. Unaquaeque conferentia episcopalis et, ad normam constitutionum, unaquaeque religio potest tribunal administrativum constituere, [ex quinque (vel: tribus) sacerdotibus constans,] quod videat de recursibus adversus decreta ab inferioribus auctoritatibus extra iudicium lata.

§ 2. Adversus decreta autem lata a supremis religionum exemptarum moderatoribus vel consiliis, a conferentiis episcopalibus earumque commissionibus vel consiliis, a conciliis particularibus, a Sanctae Sedis dicasteriis, et generaliter a quolibet, qui superiorem infra Romanum Pontificem non habeat, vel ab eius delegatis, datur recursus ad specialem Signaturae Apostolicae sectionem; haec videt etiam de appellatione adversus sententias a tribunalibus, de quibus in § 1, latas, et de recursibus qui e locis vel religionibus proveniant, in quibus tribunal de quo in § 1 non sit constitutum.

*Can. 12*

§ 1. [Tribunalia administrativa, de quibus in can. 11 § 1, constant ex tribus (vel: quinque) iudicibus].

§ 2. In iudiciis semper intervenire debet promotor iustitiae.

§ 3. Iudices et promotor iustitiae sint idonei sacerdotes, qui in ullo tribunali ordinario aut in consiliis, de quibus in can. 6 § 1 n. 2, munus habeant.

§ 4. Superior, cuius decretum impugnatur vel qui de recursu administrativo vidit, itemque ii omnes quibus recursus favere vel nocere potest, eadem iura habent, quod pars conventa in ordinariis iudiciis, sed possunt libere a iudicio abesse; semper autem potest iudex ab iis informationes petere (vel: iubere ut compareant ad informationes dandas).

§ 5. In ceteris applicandi sunt, nisi rei natura obstet, cann. ... de iudicio contentioso, servatis specialibus normis de causis ad bonum publicum spectantibus; potest autem tribunal, decreto suo motivis praedito, normis processualibus, quae non sint ad nullitatem statutae, derogare, ut celeritati, salva tamen iustitia, consulat

### *3. Normae communes utriusque recursui*

#### *Can. 13*

Superior in recursu administrativo examinando ac decidendo, itemque tribunalia administrativa, iudicant etiam num iuris subiectivi laesio facta sit, si eiusmodi laesio in recursu denuntiata sit.

#### *Can. 14*

Superior vel tribunal administrativum incompetens statim decreto suo recursum ad competentem auctoritatem transmittat; conflictus competentiae, si forte oriatur, expeditissime dirimatur a tribunali administrativo, quod est immediate supra eum superiorem vel id tribunal, coram quo primo recursus propositus est.

### *4. De actione iudiciali*

#### *Can. 15*

Qui contendit ius suum decreto esse laesum, potest iudicio agere ut ius laesum restauretur, ut damna reparentur, ut alii laisionis effectus statuantur, non autem ut decretum abrogetur vel reformetur vel suspendatur.

#### *Can. 16*

§ 1. Si et recursus et actio iudicialis ab eodem vel a diversis proponantur, praeter casus de quibus in can. 7 § 2, processus per actionem iudiciale initus suspensus manet, donec recursus aut revocetur aut definiatur (vel: definitive decidatur).

§ 2. Recursus ad normam § 1 revocatus reviviscit, si actio iudicialis ideo reiciatur, quod non agatur de re in qua iuris subiectivi laesio haberi possit.

§ 3. Sententia a tribunali administrativo lata, quae in rem iudicatam transferit, facit ius inter partes etiam in iudicio coram tribunali ordinario.

Romae, die 25 mensis maii 1970

ADNEXUM II

ALTERUM CANONUM SCHEMA  
DE PROCEDURA ADMINISTRATIVA

INDEX

- I. Normae generales (cann. 1-4)
  - II. De decretis extra iudicium ferendis (cann. 5-7)
  - III. De impugnationibus (cann. 8-20)
    - 1. De recursu hierarchico (cann. 8-10)
    - 2. De recursu ad tribunal administrativum (cann. 11-15)
    - 3. Normae communes utriusque recursui (cann. 16-17)
    - 4. De actione judiciali (cann. 18-20)
- Adnotationes ad cann. 8, 9, 13.

I. NORMAE GENERALES

*Can. 1*

Ea quae in canonibus huius tituli de decretis statuuntur, item applicanda sunt, nisi aliud expresse dicatur, ad rescripta, praecepta, ordinationes omnes, [ceterosque administrativos actus,] extra iudicium lata, et ad leges quoque, iis exceptis actibus, qui ab ipso Romano Pontifice [vel a Concilio Oecumenico] ferantur.

*Can. 2*

Si, transactis sexaginta saltem diebus postquam petitio aliqua vel recursus ad superioris officium pervenerit, nondum superior deciderit, et petitio vel reccurrens scripto instet ut decisio detur, tricesimo die, ex quo haec instantia ad superioris officium pervenit, petitio vel recursus pro reiecto habetur.

*Can. 3*

§ 1. Controversia, quae orta sit ex decreto extra iudicium lato, etiamsi veretur circa ius subiectivum, potest ad viam administrativam deferri, praeterquam recursu de quo in can. 8 vel in can. 11, etiam alio quolibet modo, tem-

pore et casu, consentientibus iis, qui in ea causa agere vel conveniri in iudicio possint.

§ 2. Si qua controversia, quae orta sit ex decreto extra iudicium lato, iam deducta sit ad forum iudiciale, potest lite pendente ad administrativam viam remitti, si omnes partes consentiant; quod si fiat, actio extinguitur, et sententiae forte iam latae vi carent.

§ 3. Delata ad normam §§ 1 et 2 controversia ad viam administrativam, serventur praescripta can. 9 et can. 12.

*Can. 4*

Quae in canonibus huius tituli statuuntur, eatenus valent, quatenus aliter non caveatur in canonibus, qui de singulis negotiorum generibus normas dant; quod vero attinet ad rationem procedendi, leges particulates et instructiones possunt [, non autem ad validitatem,] alias addere normas, quae huic Codici non derogent.

## II. DE DECRETIS EXTRA IUDICIUM FERENDIS

*Can. 5*

§ 1. Antequam decretum extra iudicium ferat, superior, [quatenus fieri possit,] necessarias notitias et probationes exquirat; nisi impossibile vel omnino *superfluum* sit, eos omnes audiat, quorum interest; petitori vel recurrenti notitias et probationes omnes patefaciat, quae sine publico vel privato detimento cognosci possint, et rationes forte contrarias ostendat, data eis facultate respondendi et etiam, dum ne id celeritati vel iustitiae noceat, patronum et peritum constituendi.

§ 2. Quod si agatur de decreto, quo recursus deciditur, recurrentis semper ius habet advocatum vel procuratorem adhibendi, vitatis inutilibus moris; immo vero patronus ex officio constituatur, si recurrentis patrono careat et superior necessarium censeat; semper tamen potest superior iubere ut recurrentis ipse compareat, ut interrogetur.

*Can. 6*

§ 1. Qui decretum fert, id prae oculis habeat et intendat, quod animarum saluti et pubblico bono maxime conducere videatur, servata quidem lege, iustitia, canonica aequitate.

§ 2. Decretum scripto feratur, expressis, saltem summarie motivis; quod si forte gravissima ratio obstet ne motiva patefiant, haec in secreto documento exprimantur, quod superiori petenti est ostendendum.

*Can. 7*

§ 1. Decretum singulis personis vel communitatibus datum statim vim habet, postquam ei, ad quem destinatur, ad normam cann. ... notificatum est, vel aliter scripto aut, processu verbali ab omnibus praesentibus subscribendo, coram duobus testibus intimatum; quodsi ille, rite vocatus ad accipiendo vel audiendum decretum, sine iusta causa non comparuerit vel subscribere recusaverit, decretum pro intimato habetur.

§ 2. Decreta generalia, ordinationes, instructiones aliaque eiusmodi sunt idoneo modo publicanda, vel ad eos omnes, quorum interest, intimanda.

**III. DE IMPUGNATIONIBUS***1. De recursu hierarchico**Can. 8*

§ 1. Qui se decreto gravatum esse contendat, potest, intra peremptorium terminum decem dierum utilium, recurrere:

- 1) ad Episcopum, si decretum eius inferior tulit; [Episcopus autem potest sacerdotem delegare ad recursum decidendum;]
- 2) ad consilium trium Episcoporum, a conferentia episcopali nationali stabiliter constitutum his recursibus excipiendis, si decretum ab Episcopo vel ab eius delegato sit latum;
- 3) ad Romanum dicasterium competens vel ad ipsum Romanum Pontificem, in ceteris casibus, vel, si recurrens malit, etiam in casibus, de quibus in nn. 1 et 2.

[§ 2. In religionibus exemptis superiorum competentia ad recursus recipiendos in constitutionibus determinatur.]

*Can. 9*

§ 1. Recursus, de qua in can. 8, decreti exsecutionem suspendit, nisi superior aditus aliud statuat.

§ 2. Non suspendit tamen execusionem, nisi vel superior qui decretum tutit vel superior aditus aliud statuat, si sit adversus legem vel generalem ordinationem.

*Can. 10*

Qui de recursu videt, nisi lex minores vel maiores potestates ei tribuat, easdem habet, quas decreti auctor in ea re habebat; potest itaque decretum non solum confirmare vel irritum declarare, sed etiam rescindere, revocare, emendare, subrogare, vel ei obrogare.

*2. De recursu ad tribunalia administrativa*

*Can. 11*

§ 1. Adversus decretum potest is, cuius interest, ad tribunal administrativum recurrere, intra terminum peremptorium unius mensis, si ipse contendat in decidendo vel in procedendo legem esse violatam vel abusum potestatis esse patratum, vel si contendat motiva in decreto allata non esse vera.

§ 2. Superior, coram quo pender recursus de quo in can. 8, potest recursum ad tribunal administrativum remittere, si consentiant et superior, cuius decretum in primo gradu impugnatum est, et recurrens, et, si quae sint, ceterae partes.

§ 3. Nemo potest adversum idem decretum et recursum hierarchicum et recursum ad tribunal administrativum proponere; quodsi alius superiorem hierarchicum, alias tamen tribunal administrativum adierit, hoc debet recursum ad illum remittere.

*Can. 12*

Recursus ad tribunal administrativum non suspendit decreti executionem, nisi tribunal, ex recurrentis petitione, gravi de causa id iubendum censeat.

*Can. 13*

§ 1. Unaquaeque conferentia episcopalis nationalis et, ad normam constitutionum, unaquaeque religio tribunal administrativum constitutat, quod videat de recursibus adversus decreta ab Episcopis vel inferioribus auctoritatibus extra iudicium lata.

§ 2. Adversus decreta autem lata a supremis religionum exemptarum moderatoribus vel consiliis, a conferentiis episcopalibus nationalibus ea-

rumque organis, a conciliis particularibus, a Sanctae Sedis dicasteriis, et generatim a quolibet, qui superiorem infra Romanum Pontificem non habeat, vel ab eorum delegatis, datur recursus ad Signaturam Apostolicam; haec videt etiam de appellationibus adversus sententias, a tribunalibus, de quibus in § 1, latae.

*Can. 14*

§ 1. Tribunalia administrativa, de quibus in can. 13 § 1, iudicant per collegia trium [saltern] iudicum.

§ 2. In iudiciis semper intervenire debet promotor iustitiae.

§ 3. Iudices et promotor iustitiae sint idonei sacerdotes, qui in decreto ferendo vel in impugnationibus nullam partem habuerint.

§ 4. Superior, cuius decretum in primo gradu impugnatum est, itemque ii omnes, praeter recurrentem, quos illud decretum directe attingit, citari debent et eadem iura habent, quae pars conventa habet in ordinariis iudiciis, sed possunt libere a iudicio abesse; semper autem potest iudex iubere ut compareant ut interrogentur.

§ 5. In ceteris applicandi sunt, nisi rei natura obstet, cann. ... de iudicio contentioso, servatis specialibus normis de causis ad bonum publicum spectantibus; potest autem tribunal, decreto motivis praedito, normis processualibus, quae non sint ad validitatem statutae, derogare, ut celeritati, salva tamen iustitia, consulat.

*Can. 15*

Tribunal administrativum potest decretum, quod illegitimum ad normam can. 11 § 1 iudicet, rescindere vel irritum declacare, non autem emendare vel aliter mutare.

*3. Normae communes utriusque recursui**Can. 16*

§ 1. Si is, cuius interest, intra decem dies a decreto ad normam can. 7 intimato, ab ipso decreti auctore revocationem vel emendationem decreti scripto petat, termini, de quibus in cann. 8 et 11, interim pro nemine decurrunt.

§ 2. Si decreti auctor intra triginta dies, ex quo haec petitio ad suum officium pervenerit, decretum emendet, termini ad impugnandum decurrunt ex novi decreti intimatione; secus decurrunt ex trigesimo die.

*Can. 17*

Superior vel tribunal administrativum incompetens statim decreto suo recursum ad competentem auctoritatem transmittat; conflictus autem competentiae, si forte oriatur, expeditissime dirimatur a tribunali administrativo, quod est immediate supra eum superiorem vel supra id tribunal, coram quo primo recursus propositus est.

*4. De actione iudiciali**Can. 18*

§ 1. Qui contendit ius suum decreto esse laesum, potest a iudice ordinario petere ut ius laesum restauretur, ut damna reparentur, ut alii laisionis effectus statuantur, non autem ut decretum rescindatur vel emendetur vel suspendatur.

§ 2. Adversus leges aliosque actus, de quibus in can. 7 § 2, actio iudicialis non datur; in aliis autem iudiciis eos iudex irritos habere debet, si illegitimos iudicet.

*Can. 19*

§ 1. Proposito recursu ad normam can. 8 vel can. 11, adhuc potest actio iudicialis, quae non sit extincta, proponi, dummodo consentiant et superior, cuius decretum in primo gradu impugnatum est, et recurrens et ceterae, si quae sit, partes, et accedat licentia superioris vel tribunalis, coram quo recursus pendeat; secus actio datur tantummodo adversus superioris vel tribunalis decretum, quod de recursu decidat, ad normam can. 18.

§ 2. Si actio iudicialis proponatur pendente recursu, hic revocatus habetur; iudicis autem erit stauens, utrum suspensio impugnati decreti, ad normam can. 9 § 1 vel can. 12 statuta, debent revocari necne.

§ 3. In casu de quo in § 2, si petitio iudicialis ideo reiciatur, quod quaestio non versetur circa ius subiectivum, tunc intra terminos cann. 8 vel 11 statutos, ex die quo sententia iudicialis in rem iudicatam transierit computandos, potest iterum recursus ad superiorem vel ad administrativum tribunal, coram quo recursus pendebat, deferri.

*Can. 20*

§ 1. Si alius recursum alius actionem iudiciale proponat, processus per actionem iudiciale initus suspensus manet, donec recursus aut revocetur aut definitive decidatur.

§ 2. Recursus, qui ad normam § 1 sit forte revocatus, potest iterum proponi ad normam can. 19 § 3.

§ 3. Decretum a tribunali administrativo latum, quod in rem iudicatam transierit, facit ius inter partes etiam in iudicio coram tribunali ordinario.

#### ADNOTATIONES

*Cann. 8 § 2 et 13 § 1:*

Num et quatenus de religiosis exemptis loquendum sit, et de tribunali administrativo religiosorum, videndum erit postquam canones de religiosis approbati erunt.

*Can. 9*

Verbum «aditus» hoc sensu adhibetur a Livio (37, 6, 7: aditus consul), a Plinio (nat. Hist. 8, 155: principe adito), et in Digestis (42, 1, 33: Hadrianus, aditus per libellum).

Romae, die 16 mensis novembris 1970

## ADNEXUM III

**TERTIUM CANONUM SCHEMA**  
**a Relatore apparatum post Consultorum Sessionem**  
**diebus 2-3/3/1971 habitam**

## INDEX

Animadversio primo canonum schemati praemissa

- I. Normae generales (cann. 1-3)
  - II. De decretis extra iudicium ferendis (cann. 4-7)
  - III. De impugnationibus (cann. 8-20)
    - 1. De recursu hierarchico (cann. 8-10)
    - 2. De recursu ad tribunal administrativum (cann. 11-15)
    - 3. Normae communes utriusque recursui (cann. 16-17)
    - 4. De actione iudicali (cann. 18-20)
- Adnotationes ad cann. 8 et 13.

## ANIMADVERSIO PRAEVIA

Quae materiae inde ab initio debeant via administrativa, quae vero via iudicali tractari, non videtur posse generaliter statui: id petere debet ex canonibus de singulis negotiis seu negotiorum classibus, cum in Ecclesia possit opportune et utiliter via administrativa adhiberi, saltem initio, etiam in rebus, quae in civitatibus soleant iudicaliter tantum tractari.

Item videtur expedire ut canones de singulis materiis statuant num et quantum negotium, via administrativa incepturn, ad viam iudicalem, praeter recursum vel actionem, remitti a superiore, consentientibus vel non consentientibus iis quorum intersit, possit.

Difficile videtur proceduram stricte administrativam eadem ratione pro omnibus regionibus nimis minute constituere. Propterea in scheme legibus et instructionibus particularibus commissum est ut, si forte videatur necessarium vel utile, alias normas de hac re ferant, ad complendas Codicis normas.

Postquam normae generales de procedura administrativa, quas solas habet

schema, paratae erunt, videndum erit num quae normae speciales de nonnullis administrativis negotiis sint paranda, vel saltem num normae hae speciales, ab aliis Coetibus forte paratae, sint a nostro Coetu recognoscendae.

Antequam canones schematis perpendantur, prae oculis habenda sunt quae *Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant*, n. 7, de his rebus praebent.

Romae, die 25 mensis maii 1970

## I. NORMAE GENERALES

### *Can. 1*

Ea quae in canonibus huius tituli de decretis statuuntur, item applicanda sunt, nisi aliud expresse dicatur, ad rescripta, praexcepta, ordinationes omnes, ceterosque administrativos actus, extra iudicium lata, et ad leges quoque, iis exceptis actibus, qui ab ipso Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico referantur.

### *Can. 2*

§ 1. Controversia, quae orta sit ex decreto extra iudicium lato, etiamsi versetur circa ius subjectivum, potest ad viam administrativam deferri, praeterquam recursu de quo in can. 8 vel in can. 11, etiam alio quolibet modo, tempore et casu, consentientibus iis, qui in ea causa agere vel conveniri in iudicio possint.

§ 2. Si qua controversia, orta ex decreto extra iudicium lato, iam deducta sit ad forum iudiciale, potest lite pendente ad administrativam viam remitti, si omnes partes consentiant; quod si fiat, sententiae forte iam latae vi carent, neque actio iudicialis amplius exerceri potest.

§ 3. Delata ad normam §§ 1 et 2 controversia ad viam administrativam, serventur praescripta can. 9 et can. 12.

### *Can. 3*

Quae in canonibus huius tituli statuuntur, eatenus valent, quatenus aliter non caveatur in canonibus, qui de singulis negotiorum generibus normas dant; quod vero attinet ad rationem procedendi, ius particulare alias normas, ad licetatem servandas, addere potest, quae praescriptis iuris communis non derogent.

## II. DE DECRETIS EXTRA IUDICUM FERENDIS

*Can. 4*

§ 1. Antequam decretum extra iudicium ferat, superior, quatenus fieri possit, necessarias noticias et probationes exquirat; nisi impossibile vel omnino superfluum sit, eos omnes audiat, quorum interest; petitori vel recurrenti noticias et probationes omnes patefaciat, quae sine publici vel privati damni periculo cognosci possint, et rationes forte contrarias ostendat, data eis facultate respondendi et etiam, dum ne id celeritati noceat, patronum vel peritum constitueri.

§ 2. Quod si agatur de decreto, quo recursus deciditur, recurrentis semper ius habet advocatum vel procuratorem adhibendi, vitatis inutilibus moris; immo vero patronus ex officio constituatur, si recurrentis patrono careat et superior necessarium censeat; semper tamen potest superior iubere ut recurrentis ipse compareat, ut interrogetur.

*Can. 5*

§ 1. Recepta petitione vel recursu ad decretum obtainendum, superior decretum intra sexaginta dies ferat; quod si non fecerit, et petitor vel recurrentis scripto instet ut decisio detur, tricesimo die, ex quo haec instantia ad superioris officium pervenit, petitio vel recursus pro reiecto habetur.

§ 2. Lex particularis potest terminos breviores statuere.

*Can. 6*

§ 1. Qui decretum fert, id prae oculis habeat et intendat, quod animarum saluti et publico bono maxime conducere videatur, servata quidem lege, iustitia, canonica aequitate.

§ 2. Decretum scripto feratur, expressis, saltern summarie, motivis; quod si forte gravissima ratio obstet ne motiva patefiant, haec in secreto documento exprimantur, quod superiori potenti est ostendendum.

*Can. 7*

§ 1. Decretum singulis personis vel communitatibus datum statim vim habet, postquam ei, ad quem destinatur, ad normam cann. ... notificatum est, vel aliter scripto intimatum; quodsi gravissima ratio obstet ne scriptus decreti textus tradatur, potest superior iubere ut decretum ei coram duobus testibus legatur, processu verbali redacto ab omnibus praesentibus subscribendo.

§ 2. Si autem is, ad quem decretum destinatur, rite vocatus ad accipendum vel audiendum decretum, sine iusta causa non comparuerit vel subscribe-re recusaverit, decretum pro intimato habetur.

§ 3. Decreta generalia, ordinationes, instructiones aliaque eiusmodi sunt idoneo modo publicanda, vel ad eos omnes, quorum interest, intimanda.

### III. DE IMPUGNATIONIBUS

#### 1. *De recursu hierarchico*

*Can. 8*

§ 1. Qui se decreto gravatum esse contendat, potest, intra peremptorium terminum decem dierum utilium, recurrere:

1° ad Episcopum, si decretum eius inferior tulit; (Episcopus autem potest sacerdotem delegare ad recursum decidendum);

2° ad consilium trium Episcoporum, a conferentia episcopali nationali sta-biliter constitutum his recursibus, excipiendis, si decretum ab Episcopo, vel ab eius delegato, sit latum;

3° ad competens Romanae Curiae dicasterium vel ad ipsum Romanum Pontificem, in ceteris casibus, vel, si recurrens malit, etiam in casibus, de qui-bus in nn. 1° et 2°.

(§ 2. In religionibus exemptis superiorum competentia ad recursus reci-piendos in constitutionibus determinatur).

*Can. 9*

§ 1. Recursus, de qua in can. 8, decreti exsecutionem suspendit, nisi supe-rior aditus aliud statuat.

§ 2. Recursus autem adversus legem vel generalem ordinationem proposi-tus non suspendit exsecutionem, nisi vel superior qui decretum tulit vel su-perior aditus aliud statuat.

*Can. 10*

Qui de recursu videt, nisi lex minores vel maiores potestates ei tribuat, ea-dem habet, quas decreti auctor in ea re habebat; potest itaque decretum non solum confirmare vel irritum declarare, sed etiam rescindere, revocare, emen-dare, subrogare, vel ei obrogare.

*2. De recursu ad tribunalia administrativa**Can. 11*

§ 1. Adversus decretum potest is, cius interest, ad tribunal administrativum recurrere intra peremptorium terminum triginta dierum utilium, si ipse contendat violatam esse legem in decidendo vel in procedendo, aut motiva in decreto allata non esse vera.

§ 2. Superior, coram quo pendet recursus de quo in can. 8, potest recursum ad tribunal administrativum remittere, si consentiant et superior, adversus cuius decretum recursus hierarchicus primum initus est, et recurrens, et, si quae sint, ceterae partes.

§ 3. Nemo potest adversus idem decretum et recursum hierarchicum et recursum ad tribunal administrativum proponere; quodsi alias superiorem hierarchicum, alias autem tribunal administrativum adierit, hoc debet recursum ad illum remittere.

*Can. 12*

Recursus ad tribunal administrativum non suspendit decreti exsecutio-  
nem, nisi tribunal, ex recurrentis petitione, gravi de causa id iubendum cen-  
seat.

*Can. 13*

§ 1. Unaquaeque conferentia episcopalnis nationalis et, ad normam constitutionum, unaquaeque religio tribunal administrativum constituat, quod videat de recursibus adversus decreta ab Episcopis vel inferioribus auctoritatibus extra iudicium lata.

§ 2. Adversus decreta autem lata a supremis religionum exemptarum moderatoribus vel consiliis, a conferentiis episcopalibus nationalibus ea-  
rumque organis, a concilis particularibus, a Sanctae Sedis dicasteriis, et generatim, a quolibet, qui superiorem infra Romanum Pontificem non ba-  
beat, vel ab eorum delegatis, datur recursus ad Signaturam Apostolicam;  
haec videt etiam de appellationibus adversus sententias, a tribunalibus, de  
quibus in § 1, latas.

*Can. 14*

§ 1. Tribunalia administrativa, de quibus in can. 13 § 1, iudicant per col-  
legia trium iudicium.

§ 2. In iudiciis semper intervenire debet promotor iustitiae.

§ 3. Iudices et promotor iustitiae sint idonei sacerdotes, qui in decreto ferendo vel in impugnationibus nullam partem habuerint.

§ 4. Superior adversus cuius decretum recursus hierarchicus primum initus est, itemque ii omnes, praeter recurrentem, quos illud decretum directe attingit, citari debent, et eadem iura habent quae pars conventa in ordinariis iudiciis, sed possunt libere a iudicio abesse; semper autem potest iudex iubere ut compareant ut interrogentur.

§ 5. In ceteris applicandi sunt, nisi rei natura obstet, cann. ... de iudicio contentioso, servatis specialibus normis de causis ad bonum publicum spectantibus; potest autem tribunal, decreto motivis praedito, normis processualibus, quae non sint ad validitatem statutae, derogare, ut celeritati, salva tamen iustitia, consulat.

*Can. 15*

Tribunal administrativum potest decretum, quod illegitimum ad normam can. 11 § 1 iudicet, rescindere vel irrum declarare, non autem emendare vel aliter mutare.

*3. Norme communes utriusque recursui*

*Can. 16*

§ 1. Si is, cuius interest, intra decem dies a decreto ad normam can. 7 intimato, ab ipso decreti auctore revocationem vel emendationem decreti scripto petat, termini, de quibus in cann. 8 et 11, interim pro nomine decurrent.

§ 2. Si decreti auctor intra triginta dies, ex quo haec petitio ad suum officium pervenerit, decretum emendet, termini ad impugnandum decurrent ex novi decreti intimatione; secus decurrent ex trigesimo die.

*Can. 17*

Superior vel tribunal administrativum incompetens statim decreto suo recursum ad competentem auctoritatem transmittat; conflictus autem competentiae, si forte oriatur, expeditissime dirimatur a tribunali administrativo, quod est immediate supra eum superiore vel supra id tribunal, coram quo primo recursus propositus est.

4. *De actione iudicali**Can. 18*

§ 1. Qui contendit ius suum decreto vel tribunalis administrativi sententia esse laesum, potest a iudice ordinario petere ut damna reparentur et ut alii laesonis effectus statuantur, non autem ut decretum rescindatur vel emendetur vel suspendatur.

§ 2. Adversus leges aliosque actus, de quibus in can. 7 § 3, actio iudicalis non datur; iudex autem in quibuslibet iudiciis ea, si illegitima iudicet, applicare non potest.

*Can. 19*

§ 1. Proposito recursu ad normam can. 8 vel can. 11, adhuc potest actio iudicalis, quae non sit extincta, proponi, dummodo consentiant et superior, adversus cuius decretum recursus primum institutus est, et recurrens et ceterae, si quae sint, partes, et accedat licentia superioris vel tribunalis, coram quo recursus pendeat; secus actio datur tantummodo ad normam can. 18 adversus superioris decretum, quod de recursu decidat, vel tribunalis administrativi sententiam.

§ 2. Si actio iudicalis proponatur pendente recursu, hic revocatus habetur; iudicis autem erit statuere, utrum suspensio impugnati decreti, ad normam can. 9 § 1 vel can. 12 statuta, debeat revocari necne.

§ 3. In casu de quo in § 2, si petitio iudicalis ideo reiciatur, quod quaestio non verisetur circa ius subiectivum, tunc intra terminos cann. 8 vel 11 statutos, ex die quo sententia iudicalis in rem iudicatam transierit computandos, potest iterum recursus ad superiore vel ad administrativum tribunal, coram quo recursus pendebat, deferri.

*Can. 20*

§ 1. Si aliis recursum aliis actionem iudiciale proponat, processus per actionem iudiciale initus suspensus manet, donec recursus aut revocetur aut definitive decidatur.

§ 2. Recursus, qui ad normam § 1 sit forte revocatus, potest iterum proponi ad normam can. 19 § 3.

§ 3. Sententia a tribunali administrativo lata, quae in rem iudicatam transierit, facit ius inter partes etiam in iudicio coram tribunali ordinario.

ADNOTATIONES

*Ad can. 8 § 1 n. 1*

De delegandi possibilitate iterum considerabitur, postquam canones generales de iurisdictione eiusque delegatione definiti erunt.

*Ad cann. 8 § 2 et 13 § 1*

Num et quatenus de religiosis, exceptis vel non, loquendum sit, et de administrativo religiosorum tribunal, videndum erit postquam canones de religiosis definiti erunt.

Romae, die 8 mensis martii 1971

Pio Ciprotti  
Relator